ad iudicandum. Hoc namque uerissime comprobat beatus augusti-
nus [illegible] sancti euangelii de iudicio inquiens.
Quid enim apostolus domini paulus sine ulla ambiguitate di-
xisse. nescitis quia angelos iudicabimus. Quos utique
angelos nisi malos ipsumque eorum principem posuit. Ergo
sedebit et ipse apostolus in xii sedibus de quibus dominus ait.
Sedebitis super xii sedes iudicantes xii tribus israel.
Si ipse non erat unus xii sedes. Nouimus enim quod primum fuerunt
electi a domino xii et quos unus inde ceciderit. et cuius in
loco unus fuerit subrogatus. Electi sunt xii. cecidit tra-
ditor iudas. in loco eius subrogatus est beatus mathias.
Si tamen singuli sedebunt in singulis sedibus iam impletus
est numerus. ubi sedebit apostolus paulus. Annon forte
sibi indebitam sedem usurpauit. quando dixit. nescitis
quia angelos iudicabimus. Duodecim ergo sedes uniuersi-
tatis sedes in quibus et apostoli et ceteri sancti sedebunt
cum domino ad iudicandum. His ita definitis breuiter ad lau-
dem beati mathie apostoli deuotissime reuertamur.
Glorificemus illum et ueneremur ac triumphalibus laudi-
bus perpetuisque preconiis declaremus. imitantes uirtu-
tem illius humilitatem. que est mater omnium sancti-
tatum. Caueamus impiam superbiam. que est radix
omnium malorum. quam sequendo ille quem primum creauit
princeps extitit omnium angelorum. de celesti
gloria et honore cum decimo ordine angelorum [illegible]

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, Latin 11411, 5v – Sermones (https://fragmentarium.ms/view/page/F-y4gs/2997/33502)